

hoc sufficit ad libertatem actus oppositi.

XXIX. Et cum subditur in probatione consequentia, quod idem est non facere, atque transgredi divinum præceptum, dico quod non facere in sensu composito, id est, supposito præcepto, verum est idem esse quod transgredi divinum præceptum; sed non facere in sensu diviso, id est, non supposito præcepto, non est idem quod violare mandatum. Unde quamvis ex suppositione actus acceptandi mortem sit necessarius quantum ad specificationem, et oppositus impossibilis, tamen absolute est liber.

XXX. Contra hoc autem insurgit Suarez hac objectione, quam validam, ac perdifficilem vocat. Sequitur, inquit, quod in Christo sit potentia physica ad peccandum, et consequenter Christum absolute loquendo posse transgredi præceptum divinum illi impositum, quod esse omnino falsum supra quæstione xv, articulo primo, probatum fuit. Probatur sequela, quia Christus libere adimplevit præceptum moriendi obligans hic et nunc; ergo potuit implere, et non implere; sed posse non implere tale præceptum est posse peccare: ergo absolute, et simpliciter peccare potuit.

XXXI. Respondetur negando sequelam. Christus enim non habuit potentiam physicam ad peccandum formaliter, nam licet habuerit potentiam physicam ad actum, et ad negationem actus absolute, non vero habuit potentiam physicam ad illum actum, vel negationem actus secundum quod inductiva erat privationis regulæ rationis. Nec ad hoc salvandum est necessarium recurrere ad paratum Dei concursum, vel non paratum, ut recurrit Suarez, sed ad ipsam Christi intrinsicam dispositionem. Sicut enim non habet potentiam ad operandum,

nisi conjunctam primæ regulæ secundum esse, ita neque ut exeat in actum, nisi eidem regulæ conjunctam, et subordinatam, atque adeo non habet potentiam physicam nisi ad recte operandum.

XXXII. Cæterum ex meritis ipsius objecti habuit potentiam physicam ad eos actus, quos si eliceret supposito præcepto peccaret, scilicet: Volo non mori, aut: Volo non redimere genus humanum, quod gravissimi discipuli D. Thomæ libenter fatentur, et Molina 1 part. quæst. xiv, art. iii, disput. xviii, §. Ut ad argumenti solutionem, etc. Supposito tamen præcepto Dei impossibile fuit, quod eos actus eliceret, quare nunquam est concedendum, quod ad omissionem horum actuum: Volo mori, aut: Volo redimere genus humanum, secundum quod isti actus in præcepto cadebant, haberet Christus potentiam physicam.

XXXIII. Ad confirmationem respondetur non esse inconveniens, quod in bona consequentia antecedens sit omnino necessarium, et consequens solum secundum quid, dum tamen sit infallibile supposito antecedenti ex aliqua conjunctione infallibili cum illo, nunquam enim instabitur, ut dici solet 1 part. quæst. xiv, art. xiii, est enim hæc consequentia necessaria: Deus scit Petrum peccaturum: ergo Petrus peccabit, et tamen antecedens est omnino necessarium, et consequens tantum secundum quid, id est, ut subest scientiæ divinæ.

XXXIV. Pro cuius ampliori notitia advertendum est, quod potentia de se determinata ad rationem superiorem est indifferens ad materialia subjecta, quæ per accidens conjunguntur illi superiori rationi. Exemplum est in potentia visiva, quæ de se determinata est ad colorem in communi; indifferens vero ad hominem, et equum, in quibus repe-

ritur color per accidens. Sic ergo dici potest, quod potentia Christi, quæ est voluntas, determinata est ad bonum rationis in communi; indeterminata vero ex se ad hanc rationem boni in particulari, quæ de se non est intrinsece conjuncta cum bono rationis, sed per accidens, et ab extrinseco. Et notandum quod res liberæ cognitæ a Deo per reductionem ad scientiam divinam habent libertatem, et ut subsunt scientiæ divinæ habent necessitatem, aliter tamen et aliter, nam esse intelligibile rerum cognitarum prout subest scientiæ divinæ habet necessitatem, quia infallibiliter, et necessario cognoscitur, habetque connexionem cum scientia divina. At vero physica entitas actus liberi per reductionem ad scientiam Dei habet libertatem, quia Deus cognoscit illum secundum modum liberum, et cognitio Dei dat id quod cognoscit rebus, non supponit, nec ab illis accipit.

ARTICULUS V.

Utrum Christi meritum fuerit infinitum simpliciter?

I. Dubium istud bene tractatur a magistro Medina hic dubio iii, et a magistro Vincentio pagina 442, et deinceps a magistro Cabrera, et aliis, quia tamen nos agentes de infinita satisfactione Christi supra quæst. i, art. ii, dubio ix, disput. ii, fere omnia, quæ ad disputationem hanc pertinent absolvimus, breviter ab eo expediemur. Solum supra omnia illa ibi tradita advertentes, quod quamvis omnes doctores communiter conveniant in asserenda infinitate simpliciter meritorum Christi, nihilominus disconveniunt in modo explicandi illam infinitatem.

II. Quidam enim dicunt, quod operationes Christi eo ipso, quo a supposito divino eliciebantur erant infinite meritorie simpliciter, quia persona operans erat Deus, et hoc est assignare causam infinitatis meriti veluti a priori; alii vero a posteriori talem infinitatem meriti in Christo colligunt ex eo, quod illi de facto datur infinitum præmium; hoc vero non eodem modo assignatur a doctoribus, nam quidam dicunt tale infinitum præmium de facto fuisse Christo collatum in resurrectione, in qua ex reunionem partium ad invicem secuta fuit unio suppositi divini ad totam humanitatem, quod infinitum quid est simpliciter; alii ponunt infinitatem præmii non in re illa in qua Christus fuit præmiatus de facto, sed in modo, quo præmium illud conferebatur, videlicet, ex eo quod tribuebatur ex toto rigore justitiæ; ac tandem alii infinitatem meritorum Christi in eo consistere docent, quod ejus passio proponatur ut universalissima medicina, sufficientissima omnibus hominibus existentibus, præteritis, futuris, imo et possibilibus ea uti volentibus pro quibuscumque peccatis quantumcumque numero, aut intensione gravissimis.

III. Qui omnes modi dicendi satis probabiles sunt, et etiam iste ultimus mihi magnopere arridet, qui est magistri Vincentii pagina 348, ex eo quod valde cedit in excellentiam, et honorem Christi Domini, et operationum ejus, quidquid in oppositum dicat Suarez disp. iv, sect. iv, §. Fatendum est ergo, ubi non vult concedere, quod omni proprietate sermonis Christi meritum fuerit infinitum conferens actuale jus ad infinitum præmium. Cujus oppositum egregie docet magister Vincentius loco citato.

IV. Et notandum, quod principium quod operans in Christo, licet in

ratione uniti, et communicati finito modo se communicaverit humanitati, tamen in ratione principii ut quod in quantum est principium quod, manet infinitum simpliciter cum persona sit infinita, et personaliter unita, quod non contingit in visione beatifica, ubi divina essentia unitur ut principium quo etiam in ratione principii quo finite, et accidentaliter. Principium autem dignitatis, et valoris moralis operum non sumitur ex principio quod ut operatur mediante aliquo principio quo finito, sed aliquo principio quod, ut quod est, nam actio regis non quia fit manu, aut alia potentia habet dignitatem, sed a persona regis immediate.

V. Secundo, notandum est, quod quando magister Vincentius pagina 445, negat Christum suscepisse infinitum præmium in resurrectione, quod alii doctores admittunt, non negat illud absolute; sed in eo sensu quo ab aliis affirmatur, videlicet, quod tantum beneficium collatum fuit humanitati in resurrectione, sicut in ipsa incarnatione Verbi, quando primo facta est. Displicet tamen id quod consequenter affirmat per modum consequentiæ, videlicet, quod si tantum beneficium collatum fuisset humanitati per resurrectionem, ac per incarnationem, consequenter affirmandum esset, quod per solam resurrectionem totum Christi meritum esset præmiatum, ita quod ejus opera non haberent ultra rationem meriti respectu nostræ gratiæ, et gloriæ, et quod jam opera Christi recepissent adæquatum præmium in resurrectione. Ex quo videtur plane sequi sapientissimum magistrum in illa esse sententia, quod si Christus ordinasset sua merita ad incarnationem Patris, aut Spiritus sancti, ea consecuta non posset ultra se extendere meritum Christi ad aliquod aliud præmium

etiam inferioris ordinis, quod et probat hoc argumento: Quia summum bonum eminenter continet omnia bona creata, et secundum opinionem probabilem multorum Thomistarum, etiam secundum rationem numericam seclusis imperfectionibus: ergo summum bonum sufficientissimum præmium est infiniti meriti, ita quod solo ipso accepto præmiatur meritum totaliter, nec potest ad aliud bonum, etiam creatum se extendere.

VI. Hæc autem assertio ut dixi, mihi displicet, et communiter theologis, et ratio pro illa, licet probet, quod ultra infinitum præmium simpliciter non possit aliquid aliud mereri, quod sit superius, aut excedens infinitum simpliciter, non tamen probat, quod alia bona inferiora non possint esse vere præmia infiniti meriti ex adeptione infiniti præmii simpliciter. Unde respondetur ad illam, quod sicut divinum esse continet eminenter creaturas, ita meritum communicationis divini esse ad humanitatem esset virtuale meritum communicationis aliorum bonorum. Quod si ad ea communicanda tale meritum ordinaret Christus, ut de facto ordinavit ad gratiam et gloriam nostram, jam tale meritum est meritum formaliter respectu eorum.

ARTICULUS VI.

Utrum Christus in primo instanti suæ conceptionis meruerit?

I. Partem negativam plures ex antiquioribus theologis tenuerunt, inter quos est Alensis, B. Albertus Magnus, D. Bonaventura, Durandus, Hugo de Sancto Victore, magister Capreolus, Holcoth, Henricus citati a Vazquez disp. LXXV, cap. 1, et a

Cabrera disp. II, statim in principio.

II. Conclusio: Christus Dominus meruit in primo instanti suæ conceptionis vere, et proprie. Hæc conclusio est expressa D. Thomæ infra quæst. xxxiv, art. III, quem sequuntur communiter ejus discipuli, et extra scholam ejus tenet eam Scotus in III, dist. III, quæstione unica, §. Est igitur, etc. Thomas de Argentina, Gabriel, Almainus Marsilius, Driedo, citati a Vazquez disp. LXXV, capite secundo.

III. Probant autem communiter omnes doctores prædicti, et Thomistæ hujus temporis hanc conclusionem ex illo ad Hebræos x: *Ideo ingrediens mundum* (nempe Christus) *dicit: Hostiam, et oblationem nolui, corpus autem aptasti mihi, holocaustomata et pro peccato non tibi placuerunt; tunc dixi: Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam*: et paulo inferius: *Qua voluntate sanctificati sumus*; sed in primo instanti suæ conceptionis ingressus est in mundum; ergo tunc habuit voluntatem illam, in qua sanctificati sumus, atque adeo actum meritorium.

IV. Vazquez autem loco proxime citato ait male auctores prædictos uti isto testimonio ad probandum fuisse meritum in Christo in primo instanti suæ conceptionis, quia inquit nullus ex sanctis patribus, uno, scilicet S. Thoma, excepto, refert prædictum testimonium ad instans primum incarnationis, sed ad totum tempus vitæ mortalis Christi. Item illa verba: *In qua voluntate sanctificati sumus*, ait non sunt referenda ad voluntatem Christi ingredientis mundum, et acceptantis mortem, sed ad voluntatem Dei, de qua dixit Christus: *Ut faciam voluntatem tuam, Deus*, et sensus erit, per hanc voluntatem Dei, quam Christus implevit veniens in hunc mundum, salvati sumus, quod testimonium consonat

primo ad Thessalonicenses iv: *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra*.

V. Sed immerito auctor iste prædictum testimonium rejicit, præcipue cum viderit S. Thomam in sensu, quem ipse impugnat prædictum interpretasse, ibi enim lectione prima de instanti incarnationis illum exponit, in quo proposuit pati mortem ut hoc sacrificio Deus placatus, et mundus esset redemptus. Quam expositionem etiam satis aperte tradit D. Anselmus super illum locum, ubi ait: « Ingressus mundum sine retardatione se obtulit Patri spontanee, dum primo hanc hostiam solam sibi placere consideravit. » Quæ expositio ita est textui conformis, ut magister Vincentius affirmet oppositam sententiam hæc solum ratione non convinci hæresis ex hoc testimonio, quia dicere possunt auctores illius, id Christum non fecisse in primo instanti, sed statim tempore illi proximo, quod cum parum distet a primo illo instanti, nihil distare videtur; unde dici etiam possumus sanctificati meritorie illa voluntate Christi, qua ipse voluntatem Patris adimplere voluit. Quod si aliqui sancti de altera voluntate Dei aliquando prædictum testimonium explicant, intelligendi sunt de causa sanctificante prima, et principali. Nullus tamen sanctus nostram, et communem interpretationem de voluntate Christi impugnat.

VI. Deinde, ratione probatur conclusio, quia non est impossibile, sed potius usitatum, quod operatio instantanea esse possit in eodem primo instanti, quo res a Deo producit: ergo eodem instanti, quo Christus conceptus fuit mereri potuit. Consequentia inde probatur, quia præcipuum fundamentum auctorum oppositum opinantium est affirmare, quod res operari nequit in eodem instanti, quo producit. Antece-

dens autem probatur, quia sol in eodem instanti, quo creatus est a Deo, illuminavit, alias aliquo tempore esset sol in rerum natura sine eo quod illuminaret, cum inter primum instans suæ creationis, et illum in quo illuminaret necessario mediaret tempus aliquod, quod dici nullatenus potest; ergo etiam in eodem instanti, quo Christus conceptus fuit meruit actionibus voluntatis immanentibus, quæ in instanti produci possunt, et hac ratione affirmatur communiter a theologis Angelum in primo instanti mereri potuisse. Quæ omnia amplius explicabuntur, et hæc ratio corroborabitur in solutionibus argumentorum.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

VII. Primo arguitur argumento Alensis: Nam in eodem instanti nequit res produci, et operari: ergo in eodem instanti nequit res produci, et mereri. Probatur consequentia, quia meritum sine operatione esse nequit; antecedens autem non probatur ab hoc auctore, sed ut manifestum relinquitur.

VIII. Respondetur ex his, quæ modo dicta sunt, bene enim potest res in eodem instanti operari in quo incipit esse.

IX. Secundo, arguitur argumento magistri: Quia ad rationem meriti necessario requiritur libertas; sed in primo instanti conceptionis Christi non potuit in voluntate humana ejus reperiri libertas; ergo neque meritum. Consequentia est nota, et major patet ex supra dictis dubio primo; minor vero probatur primo, quia libertas esse non potest sine indifferentia, sed indifferentia ad opus respicit futurum tempus, non præsens; ergo non potest in illo primo instanti reperiri libertas in voluntate humana Christi. Et hac

ratione existimavit magister, neque Angelum in primo instanti potuisse mereri, aut demereri.

X. Secundo, probatur eadem minor a D. Bonaventura, et B. Alberto Magno, quia in primo instanti aliquid rei non potest esse consultatio, quæ tempus requirit; sed consultatio requiritur ad libertatem: ergo esse non poterit in Christo in primo instanti suæ conceptionis, atque adeo neque meritum.

XI. Respondetur, quod in primo instanti conceptionis Christi optime potest esse libertas requisita ad meritum, quia licet de ratione libertatis sit indifferentia, tamen illa non est intelligenda respectu temporis futuri tantum, sed in eodem momento temporis considerari potest, videlicet ex eo quod voluntas considerata prius natura quam operetur, indifferens erat ex se ut posset operari, et non operari.

XII. Ad secundam probationem ejusdem minoris ibi positam, dico quod in primo instanti conceptionis Christi potest esse deliberatio sufficiens ad merendum, quia hæc deliberatio non fit cum discursu, et labore, aut mora temporis, sed sola propositione indifferenti utriusque partis, quæ in primo instanti temporis esse potuit, quia ut optime docet D. Thomas infra quæst. xxxiv, art. ii ad secundum, qui perfecte cognoscit, non indiget discursu, aut mora temporis, sicut citharædus ad pulsandam citharam. Non fuit autem necessarium in Christo aliquam consultationem præcedere, ut ibidem docet D. Thomas: illa enim non præægitur nisi propter inquisitionem incerti; cum ergo esset Christus in illo primo instanti plenus scientia, non indiguit consultatione.

XIII. Tertio: arguitur argumento Capreoli: Quia prior debet esse operatio naturalis, quam operatio libe-

ra; sed operatio naturalis nequit esse meritoria; ergo neque etiam prima operatio Christi in primo instanti facta.

XIV. Respondetur negando majorem, sine fundamento enim dicitur a Capreolo operationem naturalem debere esse tempore priorem, quam liberam, atque adeo ex hac parte nihil ob stare potuit quominus Christus mereretur in illo primo instanti. Potest enim dici, quod in Christo nulla fuit actio naturalis necessaria quoad exercitium, quæ sola est incapax meriti, omnes enim liberæ fuerunt quantum ad exercitium, licet aliquæ necessariæ essent quantum ad specificationem, quæ libertas ad meritum sufficit.

XV. Ultimo, arguitur argumento Durandi, qui specialiter probat Christum non potuisse mereri in primo instanti suæ conceptionis, quia aut meruit Christus operatione beatifica, aut alia actione voluntatis, quæ consequitur actionem intellectus secundum quod non videt Deum. Primum dici non potest ut constat, neque secundum quod sic probat, quia nulla actio intellectus in illo primo instanti perficitur a qua actio voluntatis libera procedere possit; ergo. Probatur antecedens inductive, nam actus ille intellectus prærequisitus non fuit scientiæ experimentalis, illa enim fit ministerio sensuum, quibus in illo instanti Christus non utebatur; neque etiam fuit scientiæ infusæ, quia hæc scientia infusa necessario pendet in usu a sensibus (sentit enim Durandus, ut supra vidimus, quod hæc scientia infusa non differt specie natura sua a scientia acquisita) ergo non datur aliquis actus intellectus in illo primo instanti, a quo originetur actus liber voluntatis Christi in eodem instanti libere eliciendus, necessario prærequisitus ad meritum.

XVI. Respondetur verissimum

esse Christum in illo instanti non meruisse per actum beatificum, qui est incapax meriti, sed per actum liberum voluntatis, qui sequitur ad scientiam infusam. Nec aliquid valet impugnatio Durandi, ex ejus enim ratione, quæ perfectum usum sensuum in Christo requirit, sequetur non solum in illo primo instanti, sed nec etiam toto tempore instanti potuisse mereri, quia eadem est ratio circa usum perfectum sensuum in illo primo instanti, et in prioribus annis infantie Christi. Quare merito sententia Durandi temeritatis nota censuratur a theologis. Dicendum ergo est, quod ad usum scientiæ per se infusæ, quam habuit Christus Dominus ab instanti suæ conceptionis, nullatenus fuit necessarium, quod operationes sensuum exerceret, aut quod se converteret ad phantasmata, licet pro sua libertate illud facere posset, ut supra diximus agentes de hac scientia infusa quæstione xi, articulo ii, atque adeo ad actum hujus scientiæ infusæ optime sequi potuit actio voluntatis humanæ Christi libera, quæ de facto meruit in illo primo suæ conceptionis instanti.

ARTICULUS VII.

Utrum in illo primo instanti suæ conceptionis Christus totum suum meritum consummaverit, taliter quod per alias actiones suæ vitæ mortalis nihil novum meruerit?

I. Prima conclusio: Christus Dominus non tantum meruit in primo instanti suæ conceptionis, sed etiam alio toto tempore vitæ suæ mortalis per plures passiones, et actiones, et præcipue per mortem suam. Hæc conclusio satis colligitur ex sacra Scriptura, in qua multoties designa-